

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica, De Emundatione Sagvinis Christi  
Iustificata**

**Neumann, Johann Georg  
Gölner, Johann Polycarp**

**Wittenbergae, 1716**

**VD18 13492934**

§. IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130526)

signanus: der Glaube ist der erste Funcken/ die Liebe aber das  
 fürnehmste im Christenthum.) Thue ich aber das/ so laße  
 ich NB. Christum fahren/ sein Blut/ seine Wunden/ und  
 alle seine Wohlthaten/ hange allein an der Liebe/ und gera-  
 the also mit meinem Lieben in das Thun/ wie der Pabst/ Ju-  
 risten, Philosophen, ja die Heyden und Türcken/ vid. Luth. VI.  
 Altenb. T. p. 693. 2.

*Deinde* ne quidem recte philosophantur illi, qui præ-  
 sentiam B. O. ad actum Iustificationis requirunt.

Nam nullum oppositum potest esse forma alterius op-  
 positi.

Atqui B. O. sunt in actu Iustificationis oppositum fidei,  
 per totiteratas Apostoli remotiones, exclusiones & excep-  
 tiones.

Ergo minime possunt esse fidei justificantes forma.

*Tertio*, per hanc ipsam hypothesein sequitur, homi-  
 nem non justificari sola fide, sed præsentibus demum bonis  
 operibus, id quod e diametro repugnat apostolicæ doctrinæ;  
 sequitur item: B. O. non consequi, sed antecedere Iustifica-  
 tionem, quod *ἀθεολογον*. Quin & sequitur: effectum esse  
 de essentia causæ efficientis; imo Iustificationem & ipsam  
 sanctificationem, penitus confundi, adeoque fidem  
 salvificam in opus humanum converti, penitusque oblite-  
 rari. Unde, quod ominatur B. Lutherus, non nisi Paga-  
 nismus tandem oriri potest. Conf. Dñ. D. Schelgvi, in *Synopsi  
 Anti-Piet. Art. XX. qu. 4.*

S. IX.

Præterea IV) patet, ex dicto nostro: *quemlibet pecca-  
 torem, donec vivit, Christi merito frui, & peccatorum impe-  
 trare*



trare veniam posse. Namque hoc est, quod contra Terministas defendimus. Bene equidem scio, materiam hanc jam pridem a Viris celeberrimis esse discussam; cum primis a Dn. D. Præside in uberrima, quam vocat, *disquisitione*; interim tamen operæ pretium existimavi, tribus saltem verbis eam attingere: cum nunquam satis dici queat, quod nunquam satis discitur. Nam contumeliose tractant Christi meritum, qui ad aliquam ætatis humanæ periodum restringunt illud, & emundationem sangvinis Christi, non ultra tria peccata graviora sese porrigere, nugantur. Nimis enim clare Apostolus inquit, emundare nos hunc sangvinem ab omni peccato. Item: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis 1. Jo. II, 2. Deinde utitur verbo temporis presentis, *καθάρσει*, ad indicandum, quovis tempore præsto esse credentibus beneficium illud, nec ultimum vitæ articulum hic excludi. Præclare B. Rappoltus: *Usurpat Apostolus verbum presentis temporis καθάρσει tum quo ad acquisitam mundationem, tum quo ad applicatam. Nam meritum Christi NB. est omnium temporum, & fide per illud iustificati sunt, quotquot remissionem peccatorum acceperunt. Sicut Augustinus & ex eo Beda super hunc locum docent. Deinde actus iustificationis est continuus, credentibus; & sangvis Christi retinet perpetuam purgandi reatum & dominatum peccatorum, quin & tollendi inbarentiam in cinerificatione & glorificatione Rappolt. in Opp. p. 46.*

S. X.

Interim tamen V) quod ultimum est, minime hinc colligendum: ac si per omnem vitam secure peccare liceat & crasti